

specu non modo *aliorum extra nos*, sed etiam *nostrum ipsorum*, in plena sua emphasi valeat, quod R. ELEASAR in *Vajikra Rabba sect. XVI. fol. 159.* dixit: כספך ריפות הוא שורף *quanta incendia excitat lingua!*

§. XVII.

Restant e. v. 6. verba: και φλογιζομενη ὑπο της γεννης) 1) και h. l. partitioni inservit: & inflammans & inflammata; *Vulgata Hieronym.* vertit: *inflammata a gehenna*, adeoque το και non legisse videtur; si autem legit, ostendere forsitan hac versione voluit, inflammationem *passivam* a gehenna ad inflammationem *activam* rotæ nativitatis se habere ut *causam ad effectum*. 2) Præfens φλογιζομενη GROTIUS putat positum esse pro futuro φλογισομενη, imo suspicatur, ita legendum forsitan esse, quia SYRVS sic legisse videatur, vertens: & ipsa igni comburetur, pœnas intelligens, quas homines, lingua abusi, in gehenna daturi sint; MILLIUS quoque, &, qui securius hunc sequutus est, BENSONIUS, nec non ER. SCHMIDIUS, pariter existimant, Syrum legisse *futurum*, sed MICHAELIS hoc ex versione Syriaca, & *ardens etiam ipsa igni*, non arbitratur colligi posse, cum non utatur futuro, *arsura*, sed præfenti, *ardens*, licet hoc forte de incendio pœnali gehennæ intellexerit; LEVSDENIUS certe & SCHAAFIVS verba Syri pariter in præfenti vertunt: *ac incenditur etiam ipsa igne*; Quod ad rem ipsam attinet, φλογιζομενη non accipiendum esse in sensu *futuri*, de pœna incendii, quæ in gehenna maneat linguam, rotam

rotam naturæ inflammantem, ut, quod GROTIUS  
 vult, idem sit sensus, qui Matth. V, 22. Marc. IX,  
 47. recte a) WOLFIVS colligit ex eo, quod Apосто-  
 lus, si de igne infernali, tanquam supplicio, loqui vo-  
 luisset, scripturus potius fuisset, ἐν γέεννῃ, quam ὑπὸ  
 γέεννῃς & β) BENSONIVS ex v. 15. huj. Cap. ubi fal-  
 sa sapientia vocatur *dæmoniaca*, manifesto indicio,  
 quod *gehennæ* jam in hac vita multum sit potestatis,  
 uti in animum, ita & in linguam hominum sibi reli-  
 ctorum; Pertinet huc insignis locus ex Cod. Talm.  
*nedarim* fol. 22. omnes species *inferni* habent *potesta-*  
*tem* in eum, qui ad iram pronus est, neque hoc tan-  
 tum, sed & *infima* in ipsum potestatem habent. Quæ-  
 ritur autem, num hæc *inflammatio passiva* concipienda sit  
 ut *præcedens activam* illam, de qua ante, tanquam  
*causa* suum effectum, an vero ut *consequens* illius?  
 Prior sensus & maxime obvius est, & quam plurimis  
 placet; sic LUTHERVS vertit: *wenn sie von der Höl-*  
*le entzündet ist*; sic CALOVIVS posterius *xxi* propter-  
 ea causaliter sumit, vertitque: nam inflammata est a ge-  
henna, quia Diabolus illam accendit; Sic BROCH-  
MANDVS: nequis miretur stupendam lingue ad nocendum  
efficaciam, monet Apostolus, Diabolum ipsum esse, qui hic  
se admisceat, & hunc ignem accendat; sic etiam HAM-  
MONDVS in Paraphr. sic ESTIVS, qui doceri hic ait,  
quod mala lingua sit instrumentum diaboli; sic WOL-  
FIVS in Curtis; sic DODDRIDGIVS, cujus hæc est pa-  
raphrasis: der unterirdische Geist wirket auf das Herz,  
dessen Gottlosigkeit durch die Zunge überfließet, und dar-  
auf

auf abzielet, eine wahre Hælle auf Erden hervor zu bringen;  
sic denique BENSONIUS, qui in paraphrasi quidem verum;  
 Titio autem, cui tantum incendium originem debet, ipse igne infernali comburendus erit, sed in nota s) futurum rursus deserit, unde BAMBERGERVS in vers. sua germ. sic eum interpretatur: *ein Feuerbrand aber, der eine solche schreckliche Verbrennung verursacht, muss unstreitig selbst von den hœllischen Flammen angezündet worden seyn.* Ac videtur sane etiam Gentilibus aliquid suboluisse de fomite ignis, qui hominum animos ac linguam, & per hanc totam naturam, inflammat, *apud inferos in gehenna* quærendo, quando Mythologia ipsorum fingit, *Furias* accensis e Phlegetonte facibus terram accendere, & imprimis impios atra face agitare; vid. e. g. VIRGILIVS *Æn. L. VII. v. 323 340.* Posteriùs BENGELIO placuisse, *prodit nota in Gnom.* ubi, *activo, inquit, passivum postponitur, nam magis magisque e sua potestate exit, qui lingua peccat;* Sic καὶ-καὶ, &—&, gradationem hic innuit, ut sæpe. Nobis nil obstare videtur, quo minus utrumque jungamus, uti & a parte rei utrumque revera conjunctum est; *Lingua, postquam inflammata est a gehenna, rotam naturæ inflammat, ac deinceps ipsa etiam magis magisque inflammatur a gehenna.*

## §. XVIII.

v. 7.

Πᾶσα γὰρ φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν, ἐρπετῶν τε καὶ ἰσαλίων, δαμάζεται καὶ δεδάμασαι τῇ φύσει τῇ ἀνθρώπινῃ.

Γαρ